



Mobilissime et Perillustri DOMINE,

Magis magisque experior, vitam hominis non nisi aerumnarum
viam esse. Etiam in Litterarum studiis salebrae sunt, quas
nemo vitavit, qui à Sapiencia non abiit. Ad domestica venio;
haec etiam tristior fortuna turbavit. Generum nuper amisi,
illum aureae planè indolis, et Belgici candoris juvenem; quem
adhuc lugeo. Filia igitur Dordrechtum propediem profectura est,
ut de Conorum usufructu, à marito sibi relicto, cum affinibus
agat. Si obtinere commeatum poterò, filium meum nam
majorem ^{*} sinam comitem esse: qui velut patrem represen-
tet. Sed ego nunc audebo pro Amico agere, in quo et me,
et studia mea tibi devovies. IOANNES CNOBBARUS est,
cwis et typographus Antuerpiensis: cui ego ingenium meum,
id est vitam debere incipio. Ecce scripta mea omnia typis
suis accuratissimis excudere paratus est, tantò omnibus alijs
bibliopolis facilius, quanto generosior. Cogita igitur CNOB-
BARUM me esse: esse, quicquid in me potes aestimare.
Aestimas mea, quae fortassis post me mansura sunt: sed
efficiet CNOBBARUS, ut mancant. Vide in Historia Sac
Barbarica, itemque in Medicaea specimen; et utramque
munusculi loco accipe. Amabis scio et Purpuram meam
Austriacam videre, quae ex eadem mox officina prodibit.
Rogo igitur, et quantum possum te per Musas tuas, et
Constantiae genium rogo; ut quemadmodum amo CNOBBA-
RUM, ames: ita enim me amari intelligam. Ego autem
si ullo Beneficio dignus sum, illum velim eodem frui: peto

* IUSTVM CAECI-
LIVM PUTEANVM.

Miis nomine, quod in me videberis conferre. Ut libri,
et negotia sunt, quae tractat, liberum ad vos itum, ad suos
reditum habeat necessum est. Ergo semel peti, quod di-
tius daret, et longam securitatem faciat. Peti, ut unae
Litterae plura itinera habeant; ut toties proficisci queat,
quoties praedium suum libris meis occupabit. Ostende nunc
Sumanitatem tuam, Vir Litterarum gloria aeternae; et
Libris impende Beneficium, quod CNOBBARO daturus es;
tibi, si ad te putas libros pertinere. Sit sic tibi singularis
ille vir, cuius unius industria, ars, candor, generositas
merentur, ut TVVS sit. Tunc autem erit, si ad te
libere semper venire, si liberalis esse semper poterit:
quoties enim veniet, novum aliquod ingenii mei monumen-
tum allaturus est; et veniet, ut adferat. Haec nimirum
munera sunt, quae à me, et CNOBBARO expectes; sed
quae sic solas excudet, ut tua fiant. Si satis adhuc non
dixi, audi quae^o uxorem eius quem commendo^o; ferre illa
epistolam voluit, ut et me, et maritum repraesentaret.
Sic vale, Nobilissime et Perillustri DOMINE, et Be-
nigno me responso recrea: incipiam verò generosius ferre
quae in vita, tanquam via, trista sunt; atque ad eum lucrum,
quem dixi, deponam. Lovanii, in Arce, Postrid. Non.
Decemb. M. DC. XXXIV.

* De uxore dabitur
an ventura sit. Sed
quicumque venturus
est, cum sic audi,
tanquam à me com-
mendatus sit.

Doctrinae et Famae tuae

verus cultor

J. Puteanus.

3

[Faint, illegible handwriting in a historical script, likely Latin or Dutch, covering the majority of the page.]

Nobilissimo et Perillustri V.
Domino CONSTANTINO HUGENIO,
Equiti,
Domino De Zulicem,
etc.

ACAD.
LUGD. BAE.
BIBL.

Hug. 37.